

www.e-rara.ch

Catecheses extemporaneae in quinque capita doctrinae christianae

Geiger, Mauritius

Typis Monasterij S. Galli, 1722

Stiftsbibliothek St. Gallen

Shelf Mark: SGST 13160

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-102646>

Catechesis VII. Sequitur pars altera symboli, [...].

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



CATECHESIS VII.

Sequitur pars altera Symboli,
quæ secundam in Deitate concernit Per-
sonam, nostramque Re-
demptionem

ARTICULUS SECUNDUS

*Et in JESUM Christum Filium ejus unicum
Dominum nostrum. S. Andreas.*

SUMMA QUÆSTIONUM.

1. *Quid secundus nos hic edocet Articulus?*
2. *Cur alter in Deitate Persona appellatur Fi-
lius?*
3. *Cur JESUS?*
4. *Annon hoc nomen præ alijs honorandum?*
5. *Cur Christus?*
6. *Cur Dominus noster?*

MISCELLANEA.

*Annon sufficit cognoscere Deum Creato-
rem?*

Quid innuit nomen JESUS?

Quando id accepit Christus?

Quomodo honorandum?

Quid Messias?

Quæstio

Quæstio Prima: Quid secundus nos edocet
Articulus?

R. Ut Credamus secundam in Deitate Personam, seu Dei Filium esse verum Deum, & verum hominem, appellarique IESUM Christum.

In prima Symboli parte ea, quæ ad primam Sanctissimæ Trinitatis Personam Deum Patrem spectabant, breviter exposita sunt, cujus præcipua operatio erat creatio nostri, rerumque omnium in Cælo & in terra.

Nunc ad alteram veniendum partem, secundamque in Deitate Personam Filium Dei, cujus specialis erat operatio, ut per Incarnationem & dolorosam Passionem suam de peccato & servitute Dæmonis redimeret genus humanum, de quo in Articulis subsequenter agitur.

Credimus ergo hæc articulo & confitemur Dei Filium imprimis esse verum Deum de DEO vero; utpote à Patre cœlesti ante omnia sæcula genitum, Patri per omnia æqualem. Deinde eundem quoque Dei Filium verum insuper hominem esse, eò quòd ad Divinam, quam ab æterno habuit, naturam quoque in tempore assumpsit humanam, natus homo de homine, ex Maria videlicet Virgine, atque ut talem Deum & hominem appellari IESUM Christum. Mirabile Mysterium, sed verum;

Q. 1.
Quid secundus
edocet articulus?

IESUM
Christum;
&c.

Credimus
hic Filium
DEI, esse
Deum.

Et hominem

rum; hac quippe unione hypostaticâ factum est, ut verum sit, & verè dicatur, quòd Dei Filius non Deus tantum, sed & homo sit, qui vocatur Iesus Christus; & quòd homo Iesus Christus sit verè naturalis DEI Filius.

Credimus denique non primam aut tertiam Personam, id est, Patrem, aut Spiritum Sanctum, sed secundam, id est, Dei Filium incarnatum.

Hæc porrò de Divinitate & humanitate Christi Fides ad salutem est omninò necessaria, juxta *Joan. 17. v. 3.* Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum, & quisquis confessus fuerit, quòd Iesus est Filius Dei, is in Deo manet, & Deus in eo. *1. Joan. 4.*

Annon
sufficit
cognoscere Deum
Creatorem.

Anne ergò non sufficit fide cognoscere Deum Creatorem?

Non sufficit post hominis lapsum, sed præterea necessarium est, illius habere notitiam, per quem redempti sumus, neque modò tantum confessio & fides hæc necessaria est, sed semper fuit; fides scilicet in futurum Redemptorem Messiam; non tamen necessitate mediij, uti suprà *Catech. 4.* dictum, sed sub peccato gravi mortali, à quo non excusaret, nisi ignorantia invincibilis, uti colligitur ex *Cat.*

Rom.

Cat. VI.

Rom.

natur

futu

bolo

lieren

conte

ceps

confir

molar

nedico

Gen. 2.

fau, &

lege q

nis m

Moyse

Isaiam

Dei F

cula, r

steria,

ceban

Ver

bisque

quend

si non

modu

Cat. P.

fectuo

credan

istum

Credo

Rom. 9. 4. Mox enim post lapsum in lege naturæ primis Parentibus spem fecit Deus futuræ Redemptionis, denuntians Diabolo: Inimicitias ponam inter te & mulierem, semen tuum, & semen illius, ipsa conteret caput tuum. Gen. 3. v. 15. Deinceps verò eamdem promissionem sæpius confirmavit, velut Abrahæ Filium immolaturus: Quia fecisti hanc rem, &c. Benedicentur in semine tuo omnes gentes. Gen. 22. v. 18. Et postea Jacobo fugienti Esau, & in via obdormienti. Gen. 28. v. 14. In lege quoque scripta, ejusdem promissionis memoriam crebrius renovavit per Moysen, omnesque Prophetas maxime Isaiam, Jeremiam, Davidem, &c. Qui Dei Filij ortum, doctrinam, mores, miracula, mortem, resurrectionem aliâque mysteria, quasi tum jam præsentia, palam docebant populos.

Verum tunc Deo acceptissima erit, nobisque ad gratiam, donâque DEI consequenda efficacissima articuli hujus fides, si non nudo intellectus judicio, quemadmodum Dæmones, & damnatos credere Cat. Præced. diximus, sed fide vivâ, id est, affectuosâ Spe, & ardenti Charitate ornatâ credamus; ita, ut recitans Articulum istum cum maximo animi sentu dicat: Credo firmissimè, possibilique Spei, amoris,

Credendum fide vivâ, id est, affectuosâ.

ris; fiduciæ; reverentiæ affectu confiteor, quòd secunda in Deitate Persona, seu Filius Dei sit verus Deus & homo, uno nomine appellatus JESUS CHRISTUS, ideòque quòd tu O mi JESU CHRISTE non homo tantum, sed verus quòque Deus es, quòd tu Patris sempiternus es Filius, quòd verè Dominus noster, &c. Credo in te, ex toto corde meo; spero in te, ex toto corde meo, amo te, ex toto corde meo; confido & committo me tibi, ex toto corde meo, &c. mira fient in anima per ejusmodi fidem, mirè denuò superinflammabitur Charitas, augebitur spes, filialis timor, odium peccati, &c.

S. Petrus primâ articuli hujus heroicâ & amorosâ confessione: Tu es Christus Filius Dei vivi, Beatitudinem & Apostolatûs meruit primatum. *Matth. 16. v. 18.* Sed ad plenius hæc percipiendâ, sit.

Q. II.

Cur Christus dicitur DEI Filius?

Quæstio Secunda: Cur ergò Christus appellatur DEI Filius?

R. Quia à Patre Cœlesti ab æterno est genitus; Ex utero ante Luciferum genui te. *Psal. 109. v. 3.* Non corporali videlicet, sed spiritali generatione mentis sine matre; Pater enim seipsum intè ligens arque contemplanis per illam intellectionem producit verbum, quòd est Filius, verâque substantia Patris, uti supra Cat. præced. dictum,

Cat. I.
dictu
tum
de I
ro, &
tur F
quàm
que e
homo
pe an
dictu
tis: si
minis
nusho
ditus,
Verbu
quòd
intelli
sanè
dine s
sine e
sine ex
piè po
Myste
nerati
Cu
Ur
quòd
Dei &
gratia
pranci

dictum, unde *Symb. Nicæn.* Et ex Patre natum ante sæcula, Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, &c. Quòd autem verbum patris dicatur Filius Patris, justius utique dicitur, quàm quisquam Filiorum hominum; neque enim homo producit hominem, quàm homo est & rationis capax (creatur quippe anima) sed ut animal, atque eâ vi præditum, quæ est illi communis cum brutis: sicut ergò maximè propriè filius hominis diceretur is, qui ab homine quatenus homo est, ratione & intelligentiâ præditus, esset genitus; ita maximè propriè Verbum Filius Dei appellari debet, eò quòd à Patre ut intelligente, & per vim intelligendi productus est. Admirabilis sanè & hæc generatio, nec ullâ similitudine sufficienter explicabilis, sicut enim sine exemplo Divina est substantia, ita sine exemplo Divina est generatio, quare piè potius credendum est tam ineffabile Mysterium, quàm perscrutandum. Generationem ejus quis enarrabit? *Is. 35. v. 8.*

Cur dicitur Unicus?

Ut secernatur à filiis per adoptionem; quòd enim homines pij appellantur filij Dei & fratres Christi, non naturæ sed gratiæ fidei in Christum, per quam adoptantur in filios Dei, adscribendum est

A a

juxta

Cur dicitur Unicus?

juxta *Joan. 1. v. 12.* Dedit eis potestatem filios Dei fieri, & *Rom. 8. v. 15* Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater; dum enim in animas nostras infundit Spiritum Sanctum, hoc est, gratiam Divinam, transmutat nos aliquo modo in aliam, cœlestemq; naturam, ut per internam illam Divinam qualitatē, & affectionem simus quodammodo Divinæ consortes naturæ, filijque Dei, jus hæreditatis adepti, regniq; Cœlestis.

Q. III.
Cur JE-
SVS?

Quæstio Tertia: Cur appellatur *Jesus*, id est, *Salvator*?

R. Quia per Passionem suam salvos nos fecit ab æterna morte.

Quid in-
nuit no-
men JE-
SVS?

Jesus est nomen Hebræum, idēque est ac salvator, qui de miseria aut periculo quempiam eripit, & licet hoc nomen nonnullis olim attributum fuerit, ut *Jesus* seu *Josue* filio *Nave*, qui *Moyse* succēssit, populūque in terram promissionis introduxit. *Josue 1. v. 1.* Item *Jesus* *Syrach* filio *Josedech* Sacerdotis, qui *Judæos* ex captivitate *Babylonica* abduxit. *1. Esd. 3. v. 2.* *Josepho* Patriarchæ, à *Pharaone* nomen Salvatoris mundi accipienti, qui *Ægyptijs* famis tempore frumento & cibo diū prospexit. *Gen. 41. v. 45.* Christo tamen propriissimè & per omnem excellentiam competit, ut qui totius mundi homines seden-

sedentes in tenebris & umbra mortis de peccatis & servitute diabolica liberaverit, Deo Patri reconciliaverit, Cœlestis regni hæredes instituerit; fideles in hoc mundo Cœlesti pane & solatio refecerit. Quare nomina illa figuram potius hujus sacratissimi Nominis fuisse existimandum est.

Sed quando nomine JESU insignitus fuit Christus?

Quando id accepit Christus?

In ipsa Circumcisione; cum enim mortis esset apud Hebræos, ut infans masculus octavo die circumcideretur, nomenque acciperet juxta Legem Mosaicam, eò quod per ceremoniam illam consecraretur Deo, populòque adscriberetur electo; idcirco & Christo infanti, octavo à Nativitate die, in ipsa circumcisione impositum est nomen Jesus, ex voluntate videlicet & instinctu Dei. Unde *Luc. 2. v. 21.* Vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur. Sed quando vocatum est? cum Beatissimæ Virgini dixit: Concipies in utero, & paries Filium & vocabis nomen ejus Jesum. *Luc. 1. v. 31.* Et Postea ad S. Josephum: Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jesum. *Matth. 1. v. 22.* Cernitur hoc SS. Nomen in titulo Cruci affixo Romæ in Ecclesia ad S. Cru-

cem. Scribitur subinde per abbreviatio-
nem IHS. quæ sunt tres primæ litteræ
vocis græcæ *JESUS*.

Q. IV.
Annon
honoran-
dum?

Quæstio Quarta: *Annon ergo hoc sacro-
sanctum Nomen præ alijs honorandum?*

R. Imò in hoc nomine omne genu flectatur.
Phil. 2. v. 10.

I. Urget
gratitu-
do, &
quòd sit
memo-
riale Pas-
sionis.

Triplex nos ad hoc urget motivum:
Tum gratitudo erga Salvatorem no-
strum, qui ut consequeretur, & compleret
reipsâ hoc nomen, octavo jam die sangui-
nem fudit, & post innumeros labores &
dolores vitam denique ipsam in cruce
profudit, annon ergo honore reverentiâ-
que & amore dignissimum? si enim
modicum beneficium corporale præstan-
ti hoc ipsum exhibemus, quanto plûs
Redemptori, ejûsque Nomini sanctissimo?
Quòd à Patre Cœlesti in obedientiæ Pas-
sionisque mercedem, idem Sacrosanctum
Nomen collatum sit. Humiliavit semet-
ipsum, factus obediens usque ad mor-
tem, mortem autem Crucis, propter
quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi
nomen, quod est super omne nomen, ut
in nomine Jesu, omne genu flectatur.
Cit. v. Quid ad inflammandum cor amore
Jesu vehementius?

**Et merces
obedien-
tiæ.**

Nec dicat Barradius *Tom. 1. l. 9. c. 3.* per
Nomen

Nomen intelligendum potestatem, excellentiam, Authoritatem Christi; enim-
verò de litterali quoque nomine id tenendum docet S. Gregorius, ipsumque nomen, quod est JESUS, vi Passionis esse super omne nomen, meritoque honorandum, & in eo omne genu flectendum. Tum præcellentia, dignitas, & Mysteria hujus sacratissimi Nominis; indicat quippe salutem, omnemque gratiam & gloriam nobis à Christo esse partam, adeo ut nec ipsum Dei nomen sit significantius, nomen quippe JESU significat Deum & hominem simul, & Verbum caro factum indicat, insuper & est memoriale omnium gratiarum, & virtutum, quæ in Christo, sunt, teste S. Bernardo. *Serm. 15. in Cant.* Cùm JESUM cogito vel nomino, repræsentō mihi mitem, humilem, sobrium, misericordem, obedientem, amantissimum mei hominem. Insuper repræsentō mihi Pijsimum Patrem, Pastorem, Magistrum, Medicum, &c. Denique repræsentō mihi universa opera & beneficia, quæ in gratiam hominis fecit Christus nimirum doctrinæ, miraculorum, Passionis, resurrectionis, &c. Quemadmodum si pronuntiem, Abrahæ, Josephi, David nomina, mox occurrunt fortia illorum facta, Abrahami offerentis

I. Dignitas & My-
steria.

filium, Davidis toties ignoscentis Sauli, Josephi in manu Impudicæ dimittentis pallium &c.

9. Virtutes illius.

Tum multæ denique efficacæ & virtutes illius; devotè quippe cogitarum aut pronuntiarum, amorem, spem, aliisque pios motus excitat, atque ad heroica virrutum exercitia inflammat; eo enim ipso, quod præclara dicta, facta, virtutesque dulcissimi Salvatoris repræsentat, intensum simul amorem, fiduciam, reverentiam, imitandi, multaque agendi & patiendi desiderium accendit. Quære S. Franciscum, unde tantum conceperit amoris ignem? Ex nomine JESU. | Quære, unde uterque Ignatius? ex nomine JESU. Quære, unde S. Bernardinus? ex nomine JESU.

Exgit desperatos peccatores ad spem ventæ, eandem ob causam, quod mitissimum illum repræsentat Pastorem, qui ovem perditam suis humeris ad gregem reportare dignatus sit, cogitant enim dicuntque supplices: O mi JESU propter nomen tuum propitiaberis peccato meo. *Psal. 24. v. 21.* Extinguit carnis tentationes, sicut frigida bullientem aquam. Pellit Dæmones. *Marc. 16. v. 17. Luc. 10. v. 17.* Hoc nomine S. Antonius spectra fugavit, & Dæmones. *S. Ath. in Vit.* Pellit veneficia.

teste

Cat.

teste

U 4

dulce

S. Be

tas &

de B

audi

Filiu

cibn

conc

ama

nom

Se

A

teme

pore

ram

lecti

oscu

do:

ne g

R

om

furg

vel

aut

ba f

R

aliã

teste Del Rio in Mag. Sanat infirmos. Art. 3.
 & 4. Solatur in adversis, animamque
 dulcedine perfundit. S. Aug. Confess. l. 3. c. 4.
 S. Bern. Serm. 15. in Cant. Apparet Benigni-
 tas & Humanitas Salvatoris. Tit. 3. v. 4. Un-
 de Bern. in Jubilo. Nihil canitur suavius,
 auditur nil jucundius, quàm JESUS DEI
 Filius. Et alibi ait, insipidum esse omnem
 cibum animæ, si non oleo hujus Nominis
 condidatur. Verè igitur honorandum &
 amandum est Divinum & dulcissimum
 nomen JESU.

Sed quomodo, & quando?

Quomo-
do?

Ante omnia Charissimi, cavendum, ne
 temerè & in rebus ludicris, sed in tem- Non tem-
 pore opportuno, & cum affectu illud profe- mere pro-
 ramus, atque ad ejus pronuntiationem, aut, nuntian-
 dationem caput detegamus, inclinemus, dum, &c.
 osculum figamus, genu flectamus, dicen-
 do: In nomine tuo O JESU flectatur om-
 ne genu, &c. Vivat JESUS!

Rursus in hoc Nomine diem, laborem, In illo in-
 omniaque incipiamus opera; manè cum cipiendi
 surgimus, Vespere ante cubitum fronti labores.
 vel pectori inscribamus nomen JESUS
 aut J.N.R.J. ita ut prima & ultima ver-
 ba sint JESUS MARIA.

Rursus cum tentationes insurgunt, Tempo-
 aliave corporis vel animæ urgent pericu- re tenta-
 tionis.

Præcipue
in agone.

la, JESUM inclamemus, Salvator meus
JESUS salva me, salva me hâc horâ, &c.
Præcipue in agone toto spiritu dicamus,
JESUS, Maria, usque dum exspiremus.
Tandem & totis viribus laboremus ut à
solis ortu usque ad occasum laudabile
fiat nomen Domini JESU, ut infideles,
omnesque rudes & peccatores incipiant
cognoscere, timere, amare, laudare no-
men JESU. Efficacissimum autem tunc
nobis erit, si cum plena fide, reverentia &
puro corde proferamus. Plura de No-
mine JESU maximè circa agonem vide
infra. *cap. 4. in Salut. Angel.* Quare sit

Q. V.
Cur ap-
pellatur
Christus;

Quæstio Quinta: Cur appellatur Christus,
seu Unctus?

R. Quia officio & dignitate Sacerdos, Rex &
Propheta erat, qui olim ad officia sua sacro
oleo inungebantur.

Sacerdo-
tes Reges,
Prophetæ
olim un-
gebantur.

Ideoque Christi græcè, latinè uncti di-
cebantur, cum enim Sacerdotibus incum-
beret assiduis populum precibus DEO
commendare, sacrificia offerre; Regibus
verò legum auctoritatem & innocen-
tium tueri vitam, nocentium ulcisci au-
daciam; Prophetis aperire arcana Cœle-
stia, emendandos mores salutaribus præ-
ceptis & futurorum prædictione horta-
ri, &c. Cum ergo functiones istæ DEI
majestatem referre in terris viderentur,
idcirco

Cat.

idcirco

ungu-

Regi.

veni-

parte

gis, &

nem

sed i

nium

vinit

Et

testa-

in æ-

cerde

ipse s

Exer

in ar

ne of

fima

crum

sangu

hodie

clesij

crific

cund

In

1. v. 3.

num.

19. v. 2.

tate

idcirco qui ad tale munus delecti erant, unguento ungebantur. *Exod. 29. v. 29. 1. Reg. 9. v. 16. Is. 61. v. 1.* Salvator ergo Jesus, veniens in mundum, trium personarum partes & officia suscepit, Sacerdotis, Regis, & Prophetæ, atque ad eorum functionem à Spiritu Sancto non oleo materiali, sed spiritali gratiæ, & plenitudine omnium donorum Cœlestium, ipsaque Divinitate inunctis fuit,

Et quidem in Sacerdotem unctum esse Christus
unctus in
Sacerdo-
tem. testatur David *Psal. 109. v. 5.* Tu es Sacerdos in æternum; cujus etiam omnes alij Sacerdotes, Ministri tantum essent, per quos ipse solus omnia operaretur Sacramenta. Exercuit autem sacerdotale munus, tum in ara crucis, cum vera sanguinis effusione offerendo corpus suum; tum in novissima Cœna, quando sub specie panis sacrum corpus, & sub specie vini sacrum sanguinem suum Deo Patri obtulit: tum hodiæque ministerio Sacerdotum in Ecclesijs se incruentè offerendo in Missæ sacrificio, ut sit Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.

In Regem unctum testatur Gabriel *Luc. 1. v. 33.* Regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis, & *Apoc. 19. v. 16.* In femore illius (scilicet Humanitate Christi) scriptum, Rex Regum, &

Dominus Dominantium: ita ut Christus etiam quā homo, ceū verus Rex habuerit absolutam potestatem super omnia mundi regna, leges condendi, officia totius orbis distribuendi, Judices mundi instituendi absque ullius injuriā, rejiciendi Reges, quod regnum (ait *Cat. Rom. q. 8.*) Christo non obligit jure hæreditario, tamen genus à Clarissimis Regibus duceret, sed propter unionem Hypostaticam, quod Deus in illum contulit, quicquid potestatis, amplitudinis, dignitatis, natura hominis capere posset, ipsūque mundi regnum, uti mox dicitur, quod ei jam subijci cœptum, planè autem perfectèque subijciuntur omnia in die Judicij.

Exercuit tamen Regis officium, imperando cuilibet, dare quod suum est, præscribendo sanctissimas leges, tuendo innocentes, quin & hodièque exercet, providendo & gubernando omnes, præcipue Ecclesiam, ejusque bonos fideles, quorum specialiter se Regem proficitur *Psal. 2. v. 6.* Ego autem constitutus sum Rex ab eo, super Sion montem sanctum, id est, Ecclesiam, &c. Hujus Regis ministri sunt, quotquot in hoc mundo gladium portant, & jura, judiciæque provincias administrant, illi nos Christiani in Baptismo nomen dedimus, sacramentòque obligavimus.

In Prophetam unctum testatur Moy-
ses *Deut. 18. v. 15.* Prophetam de gente tua su-
scitabit tibi Dominus, ipsum audies. Er-
it. *Is. 61. v. 1.* Spiritus Domini super me, eo
quod unxerit me Dominus, ad annuntian-
dum mansuetis misit me. Prophetarum
erat populum ad meliora vitæ studia co-
hortari, futura prædicere, occulta revela-
re, quæ omnia Christus in terris degens,
quantâ virtute per seipsum exercuit?
quanto spiritu instruxit rudes ad cogni-
tionem Dei? quantâ mansuetudine revo-
cavit peccatores ad poenitentiam? quàm
ardenter minatus est mala futura, propo-
suit bona futura? quàm potens in om-
nium gratiam, opere & sermone labora-
bat? *Luc. 24. v. 19.* Nunc verò ad dexteram
Patris residens id ipsum per zelosissimos
Pastores, Confessarios, Concionatores,
Catechistas agere non desinit, per quorum
ora ipse nos instruit, occulta cordis vul-
nera non rarò tangit, abditissima quæque
mentis vitia in memoriam revocat, Ju-
dicis severitatem, & poenarum æternita-
tem interminatur scelestis, bonis vitæque
integris præmium æternæ gloriæ, multâ-
que alia, quæ futura aut sperare aut me-
tuere debeamus, pronuntiat. Cæterum
cum ab hoc præclaro Nomine Christiani
nominemur & simus, non voce tantum,
sed

sed & factis sumus; Christi palàm profren-
do, & ad sanguinis usque effusionem pro-
pugnando, fidem, Christi quóque imi-
tando vitam, mores, &c. uti *Sup. Cat.*
proem. I. dictum.

Quid
Messias?

Quid uomen Messias innuit?

Idem est unctus, quem enim Græci
Christum, Latini unctum, Hebræi Mes-
siam vocant, frustraque eum, qui jam ve-
nit, usque ad novissima tempora exspe-
ctabunt; tanti ijs stetit ingratitude, &
odium in Christum. At

Q. VI.
Cur Do-
minus
noster?

Quæstio Sexta: Cur Dominus noster?

R. Quia & ipse DEUS noster est, æquè ac
Pater; & quia insuper Redemptor noster est.

Quia
Deus no-
ster est.

Christus ergò secundum utramque na-
turam, Divinam & humanam, verè Do-
minus noster est: secundum Divinam, eo
ipso, quòd Deus de Deo, idèmq; omni-
nò cum Patre Deus est, ita quóque rerum
omnium Dominus est, æquè ac Pater. Et
sicut Pater rerum omnium Creator est, ita
& per Verbum facta sunt omnia, & sine
ipso factum est nihil: quin & conservator,
moderator triplicis hujus Familiæ, Cæ-
lestium, terrestrium, & infernorum. Se-
cundum humanam, quia per mortem,
crucem & passionem suam redemit nos,
pretiùmque ipse pro nobis solvit, pretio-
sissimum suum sanguinem, exinanivit se-
met-

Et quia
Redem-
ptor no-
ster est.

metip-
tem,
lum,
tur, &
minu

2. v. 9.

potest
& Ep.

solum

mo ex

quòd

ceptio

unita

adeoq;

pur h

creatu

gò æt

Patris.

tum ra

alius, f

agnov

luit ra

potest

humil

quære

tierat.

Pec

nus E

canter

kuit,

metipsum factus obediens usque ad mortem, propter quod & Deus exaltavit illum, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria est Dei Patris. *Phil. 2. v. 9. 10.* Propter quod data est ei omnis potestas in Cœlo & in terra. *Matth. 28. v. 18.* & *Eph. 1. v. 21.* Quamquam Christus non solum quia Deus de Deo, sed etiam quia homo ex homine sit Filius Dei naturalis, eò quod Humanitas Christi in primo Conceptionis instanti, ad esse Divinum, & unitatem Personæ Filij Dei assumpta sit, adeoque eodem quoque momento Caput hominum & Angelorum, omnisque creaturæ constitutus est Christus. Bis ergo æternum Verbum est naturalis Filius Patris, tum ratione generationis æternæ, tum ratione generationis temporalis, non alius, sed aliter. Agnovère talem Angeli, agnovère Pastores, Reges, Simeon; maluit tamen in diebus carnis suæ rariùs eam potestate uti, atque in bonum nostrum, humilitate, obedientiâ, & paupertate, quærere & salvam facere ovem, quæ perierat.

Verbum
est bis
Dei Filius.

Peculiari etiam ratione dicitur Dominus Electorum, propter gratiam sanctificationem, quam Passione suâ nobis promittit, & in Sanctissimis Sacramentis per Spiritum

Est specialiter Dominus electorum.

Spiritus Sanctum confertur, per illam enim tollitur servitus diaboli, qui propter peccatum dominium in nos exercebat, & econtrà Deus per gratiam habitat in cordibus nostris. *Rom 8. v. 11.*

RECAPITULATIO.

HÆc de Articulo secundo, summa est.

(1.) Docet is, ut credamus alteram in Deitate Personam, esse Filium Dei, qui DEUS sit simul & homo, voceturque JESUS Christus. Item, quod eodem redit, Jesum Christum, esse verè Dei Filium. Est hæc fides ad salutem necessaria, nec sufficit credere Deum Creatorem tantum. (2.) Appellatur ergo Christus, Dei Filius, quia à cælesti Patre, ab æterno genitus. (3.) JESUS verò, id est, Salvator, quia per Passionem suam salvos nos fecit, accepit id nomen in Circumcisione. (4.) Ideoque præ alijs venerandum, crebriusque usurpandum præcipuè mane, &c. (5.) Appellatur Christus, id est unctus, tanquam Sacerdos, Rex & Propheta. Messias idem est quod Christus. (6.) Dicitur Dominus noster, quia & ipse Deus, & quia Redemptor noster est, specialiter electorum, &c.

EXHOR-

EXHORTATIO.

Discimus hîc Charissimi primò , novo
semper spiritu hunc unicum Domi-
num nostrum profiteri, eique nos totos
consecrare; pudeat nos servire vitijs, ut
veniat ambitio & dicat; servus meus es
tu: ut veniat avaritia & dicat, servus meus
es tu: luxuria & dicat, servus meus es tu:
gula, & dicat servus meus es, tu; pudeat
nos servire mundo, qui fumo & vanitate
suos pascere solet servos, &c. pudeat
servire dæmoni, qui fallaciter servis suis
ostendit, nec dat Regnum mundi, mise-
ræque suos premit sequaces, &c. serviamus
illi, qui ut omni titulo fieret domi-
nus cordis nostri, animæ, affectuûmque
nostrorum, tanta fecit tulitque, nec tam
horrendum dubitavit Crucis subire tor-
mentum. Serviamus illi cui servire, cum
initialemur Baptismo, tam sanctè pro-
misimus, illi proin consecremus corpo-
ris & animæ, omniûmque potentiarum
actus & motus, &c.

Discimus
1. Christo
servire,
&c.

Discimus secundò, quantas amoris fa-
ces in mentibus nostris accendere debeat
tam benigna & propensa in nos voluntas,
quâ tamen si nos in potestate & dominatu
suo possideat, velut servos sanguine suo
redemptos, eâ tamen charitate complecti-
tur,

2. Amorem in il-
lum con-
cipere,
quod nos
vocet
amicos,
&c.

tur, ut non servos, sed amicos appellet & fratres, quæ utique iustissima & omnium urgentissima causa est, ut filiali affectu fidei, & charitatis ipsum Dominum, ac Deum nostrum agnoscamus, veneremur, maximè cum dicimus: Credo in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, &c.

HÆRETICI.

Christum Dei Filium negavit Arius &c. **Articulus** hunc impugnârunt hæretici, Arius, Photinus, qui ut suprà articulo primo dictum, Dei Filium creatum asserebant.

Verùm cretissimam Humanam ac Divinitatis Christi Fidem faciunt admiranda ejusdem opera & miracula, ab Evangelistis expressa.

**Monothe-
litæ unam
voluntatem, &c.** Monothe-
litæ unam rem admittebant. Sed recta fides hæc est, ut sicut in Domino nostro Jesu Christo duæ sunt naturæ, DEI & Hominis, sic etiam duæ credantur esse voluntates, & operationes.

**Nomen
JESU
lacerant
Lutherani, &c.** Lutherani & Calvinistæ nomini Jesu omnem reverentiam & cultum, quemadmodum & Cruci, imaginibusque auferrunt; sed scire debent, cultu dignum esse non quæ vox est ore prolata, aut litteris scripta, sed quatenus significat illum, cui omnes

Cat. I.
omne
Adeo
pius
rant,
Profe
rum
quod
nome
dexter
gitis,
ubi ve
cipitis
instar
tione.

Ampl
pli
Arian
sam p
rursum
lam v
rem sa
qui n
conver
mox I
mo, d
lutare
reposit
Impera

omne genu curvandum docet Apostolus. Adeoque cultu respectivo, quo & ipsi sæpius Hæretici nomen Principis sui honorant, quod advertit Godefridus de Driel Professor Moguntinus in *Thesibus suis*. Mirum est, ait, quod vidi Heidelbergæ, quod vos Calvinistæ, ut primum auditis nomen Principis vestri, pileos deponitis, dexteræ osculum figitis, sedentes surgitis, atque ita per longam moram statis; ubi verò sacrosanctum nomen JESU percipitis, sedentes torpetis, truncorum instar, absque ullius reverentiæ significatione.

HISTORIÆ.

Amphilochius Episcopus Iconij sup-
plicaverat Theodosio Magno, ut
Arianos urbibus interdiceret, sed repul-
sam passus, hoc astu rem aggressus est,
nursum enim cum alijs Episcopis in au-
lam veniens, piè suaviterque Imperato-
rem salutans, ad filium ejus Arcadium,
qui nuper ad Imperium electus fuerat,
conversus, salve & tu puer, inquit; quem
mox Imperator, ratus rusticiore esse ani-
mo, docuit, quî deberet filium suum sa-
lutare, sed non alio honore esse dignum
reposuit Amphilochius: indignatus ergo
Imperator, illum cum injurijs abduci
Bb jussit;

Amphilo-
chius do-
cet, DEI
Filio æ-
qualem
honorem
deferren-
dum.

jussit; qui dum extruditur, vides, inquit, O Imperator, quàm ægrè feras injuriam filio illatam; sic & Imperatorem Cœlestem ijs succensere existima, qui Filio suo minorem, quàm tibi, tribuunt honorem. Admiratus rei veritatem Theodosius, Episcopo ad genua procidit, veniam petijt, contentiones disputationum in foro inhibuit, pœnâ publicè propositâ, qui contravenire ausus esset, aliterque doceret, quàm Nicææ statutum esset; itaque factum, ut Arianis & Eunomianis pulsis, Consubstantialis seu Catholicæ fidei Professores, Ecclesias gubernarent. *Niceph. l. ii. c. 9.*

Et Con-
cilium
Nicæ-
num.

Cùm decretum esset Nicææ, Filium Patri consubstantialem, à duobus tamen Episcopis Chrysantho & Musonio, qui interim decesserant, nondum subscriptum esse, adiére Patres eorum monumentum, decisionemque scriptam loculo imposuerunt, orantes, ut si, quod factum est, Deo placeret, & ipsi subscriberent; manè solutis quæ erant apposita, signaculis, utriusque subscriptionem invenère. *Baron. Tom. 3. Anno 325.*

Nomine
JESV
Dæmo-
nem fu-
gat Tho-
mas de
Kemp.

Deterriturus Dæmon Thomam de Kempis, virum sanctum, nocte quâdam, in forma horrenda ei apparuit. Exhorrens Thomas salutationem Angelicam cœpit,

Cat. I.
cœpit
usque
quo
Exem
S.
nome
ties i
olcula
S. I
suis re
caput
nome
fontes
S. M
que in
terat,
subito
témqu
gnum
S. E
scipul
sim ar
pulch
tu: sal
ret Ed
ne no
in sch
inspic
J.N.R

cœpit, sed illo magis appropinquante, usque dum ad Verbum Jesus perveniret, quo pronunciato, Dæmon evanuit. *Spec.*

Exempl. de Salut. Angel. Ex 4.

S. Augustinus faterur, a puero sibi nomen Jesu in delicijs fuisse, ita ut quoties in libro in illud incideret, devotè ab Aug. oscularetur. *In vita.*

Nomen
JESV ho-
noratur
ab Aug.

S. Paulus 219. vicibus id in epistolis suis reperijt, & cum Romæ decollaretur, caput ejus terno salu, ter pronuntiavit nomen Jesus, statimque tres erupere fontes.

Et à S.
Paulo.

S. Mechtrildis morti proxima, acriusque infestata, cum intenso, quantum poterat, spiritu, mi bone Jesu inclamaret, subito adstantem videt Christum, dicentemque: Veni benedicta, posside regnum, &c. *In vita.*

Et à S.
Mechtil-
de in
morte.

S. Edmundus cum adhuc puer, condiscipulorum fabulas fugiens, in prato seorsim ambularet, adstitit ei subito miræ pulchritudinis puer, lætòque affatur vultu: salve dilectissime; sed cum erubesceret Edmundus, addit Divinus Puer, mène non cognoscis Edmunde qui quotidie in scholis lateri tuo adhæreo, frontem inspicere: inspexit, legítque aureis litteris J.N.R.J. *Pæd. p. 1. c. 5. §. 7.*

S. Ed-
mundus
id in
fronte
Christi
legit.